





1770, 41
D. CHRIST. AVG. CRVSH

COMMENTATIO

SVPER ERRORIBVS

DE RETINENDA LEGE MOSAICA

INTER PRIMOS CHRISTIANOS,

DEQVE

ERRORVM ISTORVM VERA INDOLE

ET VARIETATE.

PROPOSITA

LIPSIAE FESTO PENTECOSTES

CICICCLXX.



Mirantur saepe nostrae aetatis Christiani, nec illiterati solummodo, verum etiam qui docti vel sunt, vel prae multis propter linguarum et lectionis copiam docti habentur, quando in primis Christianis hoc vitium deprehendunt, quod legis Mosaicae nimium et improvide tenaces fuerunt. Nam qui post consummatum Christum ad illum conuersi, et Euangelium regni Dei amplexi sunt, quando gente Iudaei erant, retinebant non modo ipsi mores et ritus Iudaicos, sed primis temporibus plerumque necessarium etiam ducebant, a conuersis ex gentibus eosdem obseruari, vel certe animo fluctuabant, quid super hac quaestione statuendum sit. Similiter qui de gentibus, suscepto Euangelio Dei, recte sentiebant, se transisse ad politiam Israelis, frequenter aberrabant, nec obsequium idem, quo obtemperabant doctoribus Euangelii, qui principio omnes erant nati Israelitae, quinimmo Ebraei, in doctrinis illis, in quibus natura et quasi arx Christianae religionis proprie posita est, alibi praestabant, quando de quaestionibus talibus, inter Iudaeos et gentes tunc contentiose agitatis, disputabatur. Etenim vel suo nunc vtentes iudicio alterutram eligebant partem, vel procliuus erant ad concedendum doctoribus, qui genere Iudaei erant, quando hi posebant vitae rationem ad mores et ritus Iudaeae gentis componendam. Aures potius his praebant contra Apostolorum optimorumque sodalium illorum auctoritatem, ita quidem, vt vel iudaizantibus doctoribus magis obsequerentur, quam Apostolis, quod fecerant Galatae recenter conuersi, quos Paulus non tam graui quam fulminante epistola reprehendit; vel certe scrupulosi essent, haesitarent, et solliciti potius essent vitare occasionem collisionis, quam de tota illa causa certo et firmiter decernere auderent. Cuiusmodi sunt, qui notantur in Ep. ad Rom. Cap. XIV. et vocantur ἀσθενεῖς τῆ πίστεως, hoc est parum instructi in fide, quae creditur, etsi fortes et robusti in fide, qua creditur, et Euangelio libenter et toto pectore obtemperantes.

Prae his omnibus nostro tempore nonnunquam sese efferunt, seque illis praestare putant, qui longe infra illos positi sunt, sed fortasse propter ἀλόγως turgent, sibi que excellere et eminenter sapere videntur. Quamobrem operae pretium esse ducimus, data hac scribendi occasione, quum Ciues nostros ad Sacra datorum Spiritus S. donorum, quae noui testamenti sunt, conuocamus, paululum diserere et praefari de causis et vera indole imbecillitatis illius primorum, et reuera optimorum Christianorum, quos vtinam non contemnerent nostri, sed fide et virtu-

te

re imitarentur! Dabimus ergo operam, vt breuiter complectamur praecipua, quae faciant ad recte intelligendum, *cur circa initium Ecclesiae Christianae de retinenda lege Mosaica, eademque porro tum a conuersis ad Iesum Christum Israelitis, tum a conuersis e gentilibus seruanda, perperam existimatum sit, et quomodo in ea causa ita errari potuerit, vt tamen error istiusmodi, qualis erat in vere conuersis, non impediuerit, quo minus in illis esset integra atque etiam eximia virtus Christiana, sed quomodo longe secus erratum fuerit ab obtrectatoribus Apostolorum semichristianis, aut penitus obstinatis contra Euangelium.* Vtilis erit talis disquisitio ad multa Bibliorum loca intelligenda, sed maxime etiam ad explorandos nostri ipsorum animos, annon similiter labamur subinde, in dissimili quidem materia, sed formaliter eadem culpa, nisi etiam peiori? nec non ad iudicandam multorum vitiorum nostri temporis turpitudinem.

Dedit Deus ministerio Moſis mandata generis duplicis, quorum alterum est eorum, quae in via et tempore commorationis in deserto seruari debebant, alterum illorum, quae post occupatam promissam terram Canaan inter Israelitas obrinerent perpetuo דור ודור לעולם in sempiternum, de generatione in generationem, id est, vt ab illis discedere Israelitis suo iudicio nunquam liceret. Sic v. g. constitutiones de colligendo et distribuendo Manna, Ex. XVI. 16 sq. de cautione, qua fiebat, vt castra tum recte ordinata essent, et profectio ordine fieret, Num. I. 52. II. 2. 34. tum vt munda essent, Num. V. 2. nec foetore abominabilia, Deut. XXIII. 10-14. et vniuerſe sic comparata, vt ne peregrinis quidem, quorum non pauci vltro citroque commeabant, causa cognationis gentium, vt erant Midianitae, Abrahamidae e Ketura, Gen. XXV. 2 sq. quorum Sacerdos Iethro erat, Exod. II. (non confundendi cum Midianitis, qui Moabitarum vicini et socii erant Num. XXV. sq.) vel propter commercia, nam emporia Elath et Ezeongeber prope aberant, vel quacunq; alia de causa, veluti curiositatis, vltro modo offensionis esse possent, sed admirationi potius essent, vt castra Numini sacra, et Duce Deo decore instructa. Aduerſabatur enim decore diuino morum feritas, ἀταξία, colluies indomitum hominum turpis, locorum impuritas et foeditas. Quamobrem de his omnibus sapienter prouisum est. At enim vero temporarium illud a constitutione morum cultuumque perpetuo seruandorum sapienter et caute distinctum est, vt neutrum cum altero confundi posset. Est itaque hoc alterum genus mandatorum Dei, quae Israelitis praecepta sunt, quod res complectebatur, quae perpetuo ab illis teneri debebant, e. g. Ex. XII. 14. 17. XXVII. 21, et saepe.

Iam quidem neutiquam adstipulari possumus illis, qui, vt promissime se expediant, comminiscuntur, illud **לעולם**, quod vertitur vulgo in *aeternum*, rectius in *perpetuum*, non semper denotare *infinitem*, sed frequenter significare *diuturnum*, vel *demensum tempus*, etsi nondum determinatum. Et meminimus, interpretes nonnunquam, quando sua se hypothesi sentiunt in angustias redactos, annos quamvis paucos, veluti non quinquaginta modo, sed quindecim, decem, octo, sumere, quibus sumendis dictioni de **עולם** *aeternitate* in textu tamen satisfiat, scilicet secundum bellum istud commentum. Secus profecto est. *Olam* semper *infinitem* notat; sed *infinitem* dicitur apud Ebraeos, quemadmodum apud omnes gentes, pariterque hodie inter nos, vt pro substrata materia notet *absolute*, v. g. Deus regnabit in *aeternum* Exod. XV. 18. vel *relatiue* e. g. Ex. XXI. 6. cum respectu ad terminum, qui spectatur, veluti si quis ad *aeternos* carceres damnatus est, i. e. vt per totam *vitam* sine fine captiuus sit, vel si propter lapsum Davidis gladius vindictae Domini ab eius domo dicitur non recessurus esse in *infinitem*, 2 Sam. XII. 10. videlicet eodem sensu, quo *infinita* captiuitas dicitur. Nam inter tres Davidis filios, qui misere perierunt post susceptum e Bathseba nothum, Amnonem, Absalomum, Adoniam, vltimus post parentis discessum e vita necatus est, ita tamen vt scelus morte piandum viuentem Patre iam admisisset, quod condonabatur conditionate, si posthac integer foret, incertumque maneret, quorsum res euasura sit. *Infinita* igitur, i. e. per totam vitam Davidis non finienda, contigit vltio sanguinis Viuae in domo Davidis, quae post receptum in gratiam Regem pro publico testimonio fuit, quantopere Deo peccata illa displicissent, nempe vt post istum lapsum David poenitentiae esset exemplar, sed peccata eius ad excusationem delictorum et ad scandalum publicum nulla probabilitate trahi possent. Teneamus itaque hoc pariter de omnibus legibus Mosaicis, quod, quando mandatae dicuntur **לעולם** in *perpetuum*, tempus obligationis *infinitem* denotetur. Non enim exinde sequitur, quod recentiores Iudaei volunt, *absolute* immutabiles esse leges istas, sed certum est duntaxat, *aliquam infinitatem* notari, siue *absolute* sit, siue *respectiua*, quod quamdiu non liquet, esto indeterminatum, nec determinetur arbitrarie, multo minus absurde, repugnando clare et praecise dictis. Sed quale sit, et quomodo capi debeat, animaduertatur, comparando dicta cum dictis, tempora cum temporibus, euenta cum euentis.

Quod vbi recte obseruetes, ne obscurum quidem est apud Mosen ipsum, quis interpret futurus sit super dictis per Mosen publicatis, sed quae contineant *indeterminatum* quiddam, vel initium rei et aenigma, quod de-

deinceps sequatur rei consummatio et explicatio. Nam inter grauissimos illos sermones ultimos, quos ad populum habuit, antequam e vita discederet, quosque in Deuteronomio reliquit, extat admonitio illa simulque comminatio Deut. XVIII. 15-19. qua in memoriam reuocat, quod celeberrimo illo sanctionis Sinaiticae die, quum Israelitae exterriti deprecarentur vterius audire Deum coelitus ad ipsos loquentem, sed humillime peterent, vt Deus ipsis reliqua dicenda publicaret interprete Mose, Deus indulserit quidem timido populo, veruntamen non simpliciter, nec sine imperata cautione. Quoniam enim in isto negotio, vbi sacrandus erat populus, eoque modo, qui sanctioni Abrahamo datae responderet, Ex. VI. 6-8. expetitus interpret verborum et mandatorum Dei reuera personam *Mediatoris* inter Deum et populum, sacrandum et beandum, sustinebat; quam ob causam vox נִדְּבָה, late alias patens, vti statim l. c. Deut. XVIII. 20-22. illic propriam vim et emphasin habet: admisit Deus quidem Mosen, vt mediatorem illius temporis, sed cum comminatione, quod nolit indulgere iterum, quando missurus sit eum *Nabi*, (*Prophetam*, rectius *Legatum* extraordinarium, *Interpretem*, hoc loco *Mediatorem*) venturum ex Israelitis, cuius personam nunc Moses sustineat, quodque vleisci velit obstinationem et negligentiam in vnoquoque, qui tunc quoque detrechet audire verba Iehouae ex illius ore, quotquot isti eloquenda commiserit, quem locum propterea Apostoli, vt conuenientissimum et ad ipsorum tempus proprie pertinentem, et adaequate quadrantem, allegarunt, Ad III. 22. VII. 37.

Ex quo manifestum est, per Christum plura diuinitus publicanda fuisse, quam quae cadebant in Mosis tempus vel personam. Nam si verus Mediator nihil habuisset in mandatis a Deo, Patre suo, quod non idem iam publicauerit Moses; quid opus erat ista comminatione, qua iubebantur cauere, ne enuntianda per Christum oracula diuina detreclarent? Sed priusquam pergeretur in publicandis reliquis Dei verbis, quae Israelitae tunc accepturi erant per Moysem, quem Deus pro Mediatore admisit, quemadmodum orauerant; mentio fit *Mediatoris futuri*, qui eloquia Dei locuturus sit ita, vt, quando per illum Deus loquatur, nemo impune recusare possit audire sermonem illius, nullo praetextu vel pietatis, vel metus, vel quocunque, sed vindictam Dei experiat, si hunc audire nolit. Atque etiam facile intelligitur, cur ita statuatur, videlicet quia in eloquendis per Christum non potissimum de rebus agebatur percipiendis, quas boni doctores quilibet proponere potuissent, quasque discere et sequi potest etiam, qui nesciat a quonam propositae sint, sed praecipue de persona agebatur, et persona eius indiuidua agnoscenda erat,

infirmatione
et
applicatio

sanctio

langram

id est
Sanctio

quod
id est



IV

quod is sit Filius Dei, verus, vnicus, per quem et cuius causa omnia condita sunt. Conf. Io. I. 1 - 18.

Dico igitur, prudentes Israelitas de legibus, quae in Dei hominumque natura fundatae sunt, ne dubitare quidem potuisse, an perpetuae sint, sed et de omnibus legibus, quae suae genti haec formula praescriptae erant, vt perpetuae essent inter posteros illorum, agnoscere debuisse, quod secessionem ab illis facere sibi nunquam liceat, donec Deus ipse antiquet. An abrogaturus sit illas leges, quando, quomodo, quousque, accurate praevidere non poterant. Sed si boni Mosis discipuli et aeternae esse voluerunt, agnoscere debebant, expectandum esse, donec venisset Mediator in monte Sinai promissus, in quo ipsum Iehouae nomen, ipsa facies sit, Exod. XXIII. 21. XXXIII. 14. qui principio Mosen miserat, Ex. III. 2. qui ducebat populum in sacra nube, Ex. XIV. 19. et de cuius verbis accurate audiendis et tenendis Moses moriturus totam gentem admonuerat, summamque ea in re cautionem imperauerat. Nefas igitur fuisset, praeposere iudicare.

Etenim vbi probabile quoque videatur, ordinationem aliquam non fore perpetuam, notandum tamen est, primum tempore Veteris Testamenti ne quidem ita licuisse ex rei natura iudicare, quemadmodum licet sub nouo Testamento; nam pii vt infantes tractabantur, non vt filii adulti; deinde etiam vniuersae ne fieri quidem posse, vt hominibus liceat suo iudicio abrogare sine Dei auctoritate accedente, quae diuinitus constituta sunt. Nam Deus etiam libere potest iubere, et liberrimas ferre leges positiuas, quae vel omnibus praescribantur gentibus, vel alicui figillatim, quaeque per definitum tempus durent, vel per omnem mundi aetatem. Quemadmodum sacramenta Noui Testamenti libere constituta sunt; sic Deus, quae Patriarchis, et copiosius postea Israelitis, praeceperat, libere diutius pro parte cultus religiosi poscere potuisset, idque ex toto vel ex parte, magis vel minus. Agnoscenda est haec possibilitas, et profecto indubitabilis est. Quare hominum non est, in antecessum decernere, quae Deus nondum determinauit, sed solummodo standum est verbo Dei. Nunc multi odio Iudaeorum reprobatorum oderunt leges rituales, tamquam quisquilias, in quo itidem peccant contra Deum, cuius erant istae leges. Improbant Apostolos, et primos quoscumque Christianos, quod scilicet nugas illas, vt videntur tantis philosophis, non statim abiecerint, et ad deferendos mores Iudaicos vel fuerint tardi, vel fuisse videantur. Apostoli post accepta Spiritus S. dona in causa illa vniuersa rectissime versati sunt, sed temerarii non erant, vt sunt eorum censores. De primis Christianis per Apostolos conuersis mox apparebit, non eius generis fuisse

fuisse illorum vitium, cuius generis habetur a turgidis ipsorum vituperatoribus, sed longe maiora vitia esse solere in his, qui illos acerbe reprehendunt et caillantur.

Apponamus exempla quaedam. Postquam expiatio peccatorum mundi facta est per oblationem corporis Christi, sequitur, vt ad expiandum nullae victimae quidquam facere possint. Recte; at vero nec olim quidquam ad illam contulerunt, sed fuerunt ἐνέμνησις ἀπαγωγῶν, memoriale, quod expiatio fieri debeat et futura sit, Ebr. X. 3. Iam quaero, annon metaphysice possibile sit, victimas, vel easdem, vel aliquas certe, post expiationem, in factae expiationis memoriam et sensibilem imaginem offerri, quemadmodum agnus paschalis praeter typum, quem de futuro exhibebat, etiam edebatur in recordationem liberationis a pernicie et a seruitute? Circumcisio segregabat domum et gentem Abrahami, donec promissio de Christo, quae illi data erat, vere euenisset. Iam postquam euenit, negare audeamus, metaphysice vtrumque possibile esse, benedictionem ad gentes ab Abrahamidis vel sic manare, vt cessante signo discriminante a circumcissione cuncti abstinere, certe quatenus religiosa sit, vel omnes eam reciperent, et sic Israel gentium secum concorporandarum possessionem acciperet? Annon idem valet de ciborum discrimine, de sabbatis et de multis aliis rebus?

Quid ergo? Nempe boni Israelitae erat, accurate obseruare cautionem illam, quam Moses mandauerat, nihil demere de lege, nihil adiuere humano ausu, expectare promissum Legatum Iehouae, in quo ipsa Iehouae natura et nomen sit, qui Mediator sit inter Deum et populum Dei, sanctificandum et beandum; et sollicite animum ad cuncta attendere, quae is dicat, ne contemendis Dei eloquiis, per illum publicandis et perficiendis, incurrat in dira illa et atrociam, quae manere contemtores verborum Dei, Moses praedixit.

Atque Deus quidem, quantum in illo erat, a tempore, quod fluxit a fatione Sinaitica ad missionem Filii Dei in mundum, pluribus tribuendis bonis effecerat, ne officium illud seruandi leges rituales, graue esset, vel periculosum. Nam in aperiendis consiliis suis gradatim vltimus progressus est, et lumen luminis addidit, vt postremo diluculum prope abesset a lumine diei matutino, dummodo bonae essent hominum mentes, hoc est, dummodo verbo diuino accurate obtemperarent, nec suo sensu, vel sectandis gentilibus, sapere auderent, aut voluptatibus et curis rerum humanarum, cupiditatibus et flagitiis, mergerentur. Videlicet noua reuelationis diuinae epocha, illustrans et locupletans antiquam patriarchalem et Mosaicam, incipit a Dauide, quae postea per

Pro-

Prophetas de tempore in tempus profecit. Simulatque enim typo expiationis, qui fuit in sacerdotio Aaronitico, etiam superadditus est typus regni Dei in suo Christo, atque longe quidem excellentior typus, quippe non mere typus, sed initium regni Dei, ita vt Dauid pater Christi constitueretur, Christus Dauidis thronum habiturus, et per Christum thronum Dauidis absolute et simpliciter aeternus futurus, declaratus esset: coeptum est multis de sancitis in veteri religione disertius per verba exuntari, quorsum pertineant. Sic via praestruebatur, qua in suis Christi uberior et perfecta instructio, quam suo darèt ore, vel suo Spiritu per Apostolos, ad animos veritatis capaces perueniret. Veluti, vt hoc utamur, annon abrogandum sacerdotium Aaroniticum, vt erat ex lege Moſis, clare indicatum est oraculo Dei per Dauidem, quod Christus futurus sit sacerdos, h. e. mediator, expiandi peccati et gratiae impertiendae causa, quemadmodum Melchisedech, itaque non quemadmodum Aaron? quod vberre exposuit Paulus, Ebr. VII. X. Item gentes sine prisca templi frequentatione politiae Israelis sub Christo cum Israelitis veris bonisque vniendas esse, annon luculenter patet ex oraculo Dei per Ieremiam c. III. 16. 17, quod arca foederis nemini amplius in mentem ventura sit? Sed Symbolo isto throni Dei nihil excellentius vsquequaque habuit tota oeconomia Israelitica. Idem exinde liquet, quod Deus doctrinam suam suo Spiritu animis inscripturus sit, Jer. XXXI. 33, quo posito innoxie carent decem verbis, quae lapidibus inscripta, et subter thronum Cherubinum in arca reposita, instrumentum foederis illius erant, quo Jehoua, dictus hoc nomine, quod in perficiendo promisso opere versetur, declarauit, se esse Deum Israelis, sed animum sibi fideliter adhaerentem, a gentilium vitiis sibi cauentem, atque factis et interna conformatione recte sibi obsequentem, postulare; nec non quod peccatorum amnestiam promittat, qua concessa non opus est memoria illa de peccato nondum abolito, quae in omni expiatione per victimas erat, et infinite reiterabatur. Quam ob causam Iudaeis incredibile videri non debebat, quando Apostoli eam nunc abrogandam esse, per Spiritum Christi docebant, conuenienterque propriis Jesu Christi verbis e. g. Jo. VI. Matth. XX. 28. XXVI. 28. Iterum ad explicationem ipsius Pauli prouoco, Ebr. X. 18.

Enim vero iam causae etiam notandae sunt, quibus nihilo secius fieri potuit, vt Christi et Apostolorum tempore et fideles ad tales res recte intelligendas atque ad obsequendum segnes essent, et multo plures, qui nomine

nomine fiebant Christiani, praetextus haberent speciosos, Iudaei autem a fide alieni contra veritatem profus ferocirent.

Scilicet causae illae primum positaе sunt in corruptelis doctrinae illius temporis, quo Christus in mundum missus est, qua de re non opus est plura dici. Vnicum solummodo bene notari velim. Nempe quando in generaliter et indeterminate dictis explicatio aliqua iam viget, et usu recepta est, et clarorum doctorum auctoritatibus confirmatur, quin etiam antiquitate defenditur, siue vera sit antiquitas eius, siue per errorem vel dolum iactetur; sit sine textus biblici culpa, ut talis explicatio sine vlla legitima causa pro vero verborum sensu a plerisque indubie accipiat: atque si insuper sententia sic arrepta placeat per se hominibus, iisque propter animi affectionem ad palatum sit, tanto firmiter creditur, et perspicue in textu sacro doceri existimatur. Nimirum ne in mentem quidem plerisque hominibus venit, verba textus grammaticae aliter quoque capi posse, et reuera tam speciale quiddam neququam notare, vti putant isti interpretes, sed aliquid generalius eloqui, quod in pluribus esse speciebus, et cum pluribus determinationibus verum esse possit, de quo itaque nefas est proprio ausu decernere. Liquet, haec omnia continere in Iudaeos tempore Christi. Nam *Olam* vtrumque denotare potest, quod absolute et quod secundum quid aeternum et perpetuum sit. Sed doctores illius aetatis aeternitatem legum ritualium, quamdiu mundus futurus sit, praepostere statuebant. Praeterea ignorabant et negligebant scopum et indolem veram religionis Israeliticae, fingebantque, populum suum diuina liberrima electione reliquis gentibus longissime praelatum esse, cuius excellentiae sigillum et publicum documentum sint leges rituales, quibus sanctificentur. Iustitiam vero hominum coram Deo vnice proficisci putabant ab operibus humanis, quibus gentes Deo placeant suo modo et gradu, si viuant secundum naturae legem, sed Israelitae praeter has virtutes naturales sancti erant tenenda sua propria lege, cuius vi etiam delicta eorum omnis generis expiari putabant, quando non peruentium morte expianda sint. Quotquot vitam post fata statuebant, nam Sadducaei animam, angelos, resurrectionem mortuorum, negabant, et tamen, ut orthodoxi Israelitae, in eodem Synedrio cum Pharisaeis sedebant, illi seruatas leges rituales etiam post mortem prodesse arbitrabantur. Insuper auxerant patriam religionem etiam suis traditionibus, iisque permultis et in molem horribilem molestantque cumulatis, quibus valorem eundem, quem habeat lex Dei scripta, nisi etiam maiorem, tribuebant.

Quare Israelitae eius temporis receperat has opiniones tamquam diuina dogmata accipiebant, quando ut oves a pastoribus ducebantur, et audientes in synagogis praelectos textus sacros veram hanc istorum senten-

tiam esse opinabantur. *Fallebantur insuper commentitia, at publice iactata, talium explicationum vetustate, ὅτι ἐγγέθη τοῖς ἀγγέλοις;* etsi vere a Maccabaeorum tantummodo tempore gradatim sectae ortae fuerant, quibus pestis illa debebatur. Caeterum *qui animum ad obsequendum Deo recte conuertebant, errorem de iustitia operum sine Christi expiatione bene se iungere potuerunt, et hunc improbare, quamquam legum ritualium propter dictas causas obseruationem perpetuam fore, existimare tum potuerunt.* En, quomodo boni Israelitae eius temporis ordinarie concipiendi sint, et qualem mentis aduersionem attulerint, quando Euangelium, quod Jesus sit Christus, susceperunt. Noli omittere, *iactatam gentis Iudaeae excellentiam, et sanctificationem nationis, quae rebus externis publicisque ritibus fiat, mirum in modum placere hominibus, vi corruptionis connatae et aduersitudinis, quae causa est, quamobrem istiusmodi errores blandientes animo infideant firmiter, nec nisi tarde depellantur, etiam quando serio cupimus emendari et verbo Dei morem gerere.*

Secundo praeter has rationes, quae per omnes Iudaismi partes valent, specialior accedit ratio, quantum ad cibum et potum, nec non ad cultum vitae communis et consuetudinem attinet. Tanta enim educationis et morum vis est, ut etiam, quando nequaquam de lege, nec de praeceptis et vetitis agitur, horrorem, iram, nauseam, pudorem excitent apposita alimenta, vel ea vestimentorum et reliqui cultus genera, quae ab educatione et aduersitudine nostra abhorrent. Velintne nostrates, quamquam leges de discrimine ciborum agnoscunt nullas, adfratere ad epulas, ubi apponantur caro equina, asinina, canina, mures, glires, bufones, et quae his aequiualeant? Putamus, Israelitis minus fastidium mouisse cibos lege ipsorum, sub qua nati et educati erant, impuros et abominabiles? An nostra aetate, quidquid fieret miraculorum, libenter ab his, qui nobili genere nati sunt, admitterentur doctores, qui Dei nomine edicerent, omnem generis nobilitatem et excellentiam in posterum cessare debere? Verba talium prophetarum si tamen mitiorem quoque interpretationem permittere viderentur, annon hanc tuerentur nobiles, et quotquot eorum gratiam ambiant? Iudaeos igitur, gentem manifeste solam prae omnibus nobilitatam, defendisse suam excellentiam, quamdiu non clara aduersabantur argumenta, quomodo mirabimur?

Redeamus nunc ad considerandum, *quomodo Christus ipse in ea re versatus sit, de qua Moses in antecessum Israelitas monuerat, iisque cautionem imperauerat, ne detrectarent verba Dei, ore Christi profrenda.* Nimirum ne nimis late vagemur, continebimus nos intra limites quaestionis propositae, et obseruabimus solummodo, aut potius admo-

admonerimus, quomodo obseruandum sit, quomodo *Christus uersatus sit in gerendo munere suo, quantum attinet ad leges caerimoniales*, sintne amplius et ab omnibus gentibus conuertendis seruandae, nec ne? *Samaritanus* dixit, iam adesse tempus, ubi nec Hierosolymis, nec in monte Garizim, prae reliquis locis Deum adorari necesse sit, propterea quod ab accipientibus Spiritum Sanctum Deus nunc adorandus sit, ut *Pater*, quod bonum priuum et proprium Noui Testamenti est, ius uero ad illud a Christo, Filio Dei, iam in mundum misso, ducitur, Io. IV. 21 sq. coll. C. I. 17. In *rixis de Sabbato*, et quousque abstinendum sit ab operando, vel stultitiam ob oculos ponit, quae erat in explicatione Pharisaeorum, Matth. XII. 3 sq. et parall. vel κατ' ἀνθρώπων et ex concessis disputat, vel simpliciter suam allegat auctoritatem, quod Filius Dei sit, vel expresse addit, Filium Hominis esse quoque Dominum Sabbati. Quum de *lotionibus* quaestio iniecta fuisset, quibus non recte seruatis, iuxta traditiones Pharisaeorum, cibi quoque et homines pari impuritatis aliquid contrahere censebantur, Dominus uolentius procedit, ad fontes causae penetrat, populum conuocat, attentionem uniuersis imperat, et tunc decidit, nullum cibum uel potum inquinare homines. Idque quum Apostoli consueto ἀπειθέων more, putarent proprie accipi non posse, sed spiritualem et mysticum sensum subesse; eamque ob causam explicationem talis parabola sibi expectassent: dementiam in illis acriter reprehendit, attamen caeteroquin illorum imbecillitatem eatenus tolerat, ut applicationem pro istius temporis ratione tantummodo faciat ad esum, qui illoris manibus fiat, Matth. XV. 10 sq. *Gentes et Israelitas* sub se, unico Pastore, unum gregem fore, praedixit, Io. X. 16, conuersionis ad Deum, fidei in Deum et in se, sanctitatis, caritatis et spei necessitatem docuit, se ut unam solam uiam ad salutem ostendit, sine se a suis nihil boni fieri posse, omnia per Iesum Christum impetranda et speranda Deoque grata esse, perpetuo demonstrauit. Caeterum non expresse addidit, quid de legibus ritualibus futurum sit. Profanationem templi arguens Matth. XXI. 13 non uictimarum facit mentionem, sed uaticinium allegat Ies. LVI. 7. quo praedictum est, in templo Iehouae eum ab omnibus terrae gentibus adoratum iri. Quantum ad uictimas in templo offerri solitas, satis esse poterat, quod Christus suum corpus, suum sanguinem, suam vitam, pro uita mundi, ut ἀντίλυτρον, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, se tradere dixit. Sed de Hierosolyma etiam, extra quam sacrificia legitime fieri non possunt, praedixit, eam illa ipsa γεγενῆσθαι, ideoque antequam a natiuitate Christi octoginta anni elapsi essent, vastatam iri, Iudaeos autem magnis stragibus necandos, vel inter gentes dispergendos esse, Hierosolymam

autem a gentibus calcatum iri, donec tempora gentium completa sint Luc. XXI. 24. Euangelium tamen ab vrbe Hierosolyma, priusquam intreret, ad gentes perferendum esse, itidem praedixit, iussitque Apostolos initium testimonii de se perhibendi Hierosolymis facere, Act. I. 8. His dicendis satis erat dictum. Nam necesse sic erat, victimarum oblationem sibi per se cessare, quaeque instructionis ergo interim addenda erant, ore Apostolorum doceri poterant. Ipse quoque dixit Christus Io. XVI. 12 sq. multa *Apostolis dicenda sibi superesse*, quum ad supplicium iret, sed iam eos ad ferendum nondum habiles esse, *donec acciperent Spiritum Sanctum*, qui reuocando in memoriam, et illustrando, quae Christus dixisset, eos ad integram veritatis perspicientiam perduceret, quinimmo res futuras illis etiam aperiret.

Venimus ad *Apostolos*, in quibus obseruandum est partim *quomodo* in ministerio Euangelii versati sint, quantum ad leges Iudaicas pertinebat, partim *quibus id rationibus factum sit*. *Primum docuerunt Hierosolymam, quemadmodum Dominus, Iesus, mandauerat, et fieri oportebat* vi promissionum, quae Sioni datae erant, indeque ad Iudaeam integram, Samaritam, Galilaeam manauit flumen salubris doctrinae prorsus illo ordine, quem Iesus definiuerat, vt his peractis dein ad omnes terras perferretur, Act. I. 8. *Seruauerunt Sabbata et Festa, et ciborum discrimina, omnesque de puritate leges*. Oblatio victimarum necessaria non erat, si quis peccata vitaret, quae expiatoriis specialibus opus habuissent. *Necesse erat, sic fieri*, tum quod aliter tolerari non fuissent, sed incurrissent in censuras publicas, tum quod impuris secundum legem non licuisset in atria templi intrare, sed ius intrandi, quod nato Israelitae denegari non poterat, dummodo purus esset, tuendum erat, vt ipsis in templo occasio esset docendi et testandi de Iesu, quod is sit Christus, Veruntamen non desunt exempla, e quibus liquido constat, *Apostolos hoc non per meram necessitatem, nec coacte solummodo, ita facisse, sed libere et consulto sic egisse, et sic agendum ratos esse*. Nam Paulus anno post ascensionem Domini 19 Cenchreae in Graecia votum Nasiraeatus suscepit Act. XVIII. 18. et deinceps post quadriennium anno Dionys. LIII. Hierosolymis exsoluit, et, suadente Iacobo, de collectis in Graecia elemosynis plures, qui tali voto tenebantur, et quibus molesta reddita erat purificatio legalis per sacrificia debita propter egestatem, suis sumptibus liberabat, Act. XXI. 24. Fiebat id eo consilio, vt calumnia refutaretur, ac si Paulus, quia plus, quam quisquam alius, cum gentilibus versabatur, Iudaeos ad defectionem a lege patria, vtque clare constaret, etiam Paulum, quippe natum Iudaeum, seruare legem, videlicet quousque seruari eam par sit.

Et

Et cur quaeſo ſecus facerent? Nam ſi intra tempus, quo ſtare debebat Hieroſolyma et mater gentium fieri, ſed deinceps illa ipſa *ye-ve* ſolo adaequari, reaedificata autem non Iudaeorum vrbs futura erat, ſed gentium, donec tempora gentium completa eſſent; ſi, inquam, intra illud tempus ſtatim abſtinere a lege Iudaica debuiffent, cur hoc Dominus non diſerte mandaſſet? Quum *Patrem* Hieroſolymis prae reliquis locis adorari non amplius opus eſſet, annon tamen in hac quoque vrbe, quae templum Dei habebat, recte adorabatur? maxime ab his, qui iuſſi erant in vrbe federe, et quibus ne licebat quidem Eccleſias alibi inſtituere, donec multitudo credentium Hieroſolymitanorum ita inſtructa fuiſſet, vt Sion mater ompium Eccleſiarum fieret? Similiter rogo, etſi cognitum habebant diſcipuli Ieſu Chriſti, cibum nullum inquinare animos puros, annon veſci inter Iudaeos recte potuerint cibo genti conſueto, hoc eſt puro ex priſca lege, quemadmodum penes vnquamque gentem cibum gentis conſuetum ſine ſpeciali cauſa non detrectabant? Veluti Petrus, quando erat cum gentilibus, promiſcuae cum illis edebat, nec ea re ſe peccare putauit, ſed aliquando de errore per praecipitantiam in praxi admiſſo admonebatur a Paulo, quod noluerat a ſuperuenientibus Chriſtianis e Iudaeis conuerſis in iſta conſuetudine deprehendi, quoniam horum diſſenſiones et altercationes vitare cupiebat, interim ſic efficiebat, vt vel ipſe peccaſſe putaretur, vel aliis neceſſitatem videretur imponere ſeruandi diſcrimen ciborum ex lege Moysi, Gal. II, 11 ſq. Similiter quando cruentis in templo ſacrificiis adſtabant, quae non amplius a Deo poſcebantur, poſtquam moriente Ieſu velum adyti ruptum fuerat, ſed ferebantur tamen, donec Sion vel inſtructa eſſet, cur tollerentur, vel menſuram peccatorum compleuiſſet, vt propter obſtinationem ſentiret vltionem illam a Moſe praedictam Deut. XVIII, 19; quando, inquam, ſolemnibus his intererant, vel muneris cauſa in peragendis his ſacris verſabantur, (nam ſacrificorum etiam magna multitudo, *πολύ τε ἄχλος ἱερέων*, ad fidem in Ieſum perducta eſt, Act. VI, 7.) contempleri poterant imaginem oblationis corporis Chriſti iam factae cum gratiarum actione, quemadmodum antea in eadem pignus faciendae, et typum fuiſſe, intelligebant. Atque hoc ipſum, vt ſolent homines re ſenſibili, veluti morte, ſanguine, igne comburente, grauiter affici, non ſine graui animorum commotione fieri potuiſſe credibile eſt, ita vt credentes tum deuotione arderent erga Deum, tum deſiderio commouerentur, omnes, qui ignorabant hactenus hanc Dei gratiam, eamque contemnebant, ad ſaniorum mentem perducendi. Nolo plura exempla congerere. Conſentit cum allegatis, quod Ieſe-

plus* tradit, festo Azymorum ante defectionem primosque belli fatalis motus, hora noctis nona, tantam lucem circa altare templumque circumfusam esse, ut dies clarus esse videretur, atque hoc per horae dimidiae spatium durasse. Exhibet hoc imaginem et symbolum luminis cognitionis, quod eousque affatim datum fuerat super scopo templi et typicis functionibus, quae in illo peragebantur. Sequenti autem festo Pentecostes sacerdotēs noctu templum ingressi ad obeunda ex more ministeria, primum quidem motum ac strepitum audiuerunt, tum deinde vocem, quasi confertae multitudinis simul clamantis, *discedamus hinc, μεταβαλωμεν ἐν τῷ ὄρει*, ut reliqua nunc taceam signa, quae notabant templum (ab hostibus capiendum et destruendum. Quod si ita contigit, nec video, cur, quod memoriae proditum ab eximio historico, et propter consensum cum libris N. T. per se et interne probabile est, existimemus non contigisse? multo acerbius quiddam indicat, quam ruptio veli tempore mortis Christi. Nam haec signum erat anagogicum, iam fieri introitum expiatoris in sanctuarium coeleste, cuius sacra imago erat adyrum in templo. Nondum propterea oportuit tempus adesse deserendi templi. Potius post occisum Christum foedus per hebdomadem annorum multitudini Israelitarum firmari oportebat Dan. IX. 27. priusquam alio sequenti tempore vastator compareret. Sed alterum signum, nempe vox illa: *discedamus dehinc*, locum sacrum penitus tradit vastatori illi praedicto.

Atque, ut porro vtamur phrasi Danielitica, *foedus Israelitis post Christum mortuum et resuscitatum per hebdomadam annorum reuera firmatum est ita*, ut intra hoc tempus Apostoli in solis conuertendis Iudaeis elaborarent, quod ita esse, historice docuit Bengelius in Ordine temporum. Post septem annos idem Petrus, qui in ministerio fundandae Ecclesiae Hierosolymitanae primas partes tenuerat, missus est Caesaream ad Cornelium, sed et nouam super hac missione instructionem accepit. Equidem non puto, eam Petri causa ipsius necessariam fuisse, sed euentus statim docer, cautum fuisse, ne humano suo consilio id fecisse videretur, prouisum autem esse, ut imbecillibus pariter ac renitentibus occasio contradicendi nulla relinqueretur. Nam Apostolus antea per *ἐκστρω* vidit emblema ter repetitum, quod ad analogiam verborum, quae olim Petrus ex ore Iesu audiuerat Io. IV. 32. contigit, et esurienti significauit, iam de alio pabulo agi, quod in suo genere hactenus fuerit impurum, quemadmodum in suo illud erat, quod in emblemate esurienti Petro exhibebatur, tamquam quo pasci debeat, Act.

* De bello Iud. lib. VI. cap. V. §. 3. edit. Hudson. pag. 1281.

Act. X. 11. sq. Quo in coelum sublato post oblationem ter factam, Spiritus Sanctus explicationem allegoriae addidit, iussitque Petrum ire cum legatis, qui illum arcefferent, quippe missis a Spiritu Sancto. Sic quum Caesarem venisset, et resciaisset, haesitare gentiles Dei reuerentes, et ad respiscendum excitatos, tantummodo super hoc, quum Deum Israelis solum esse verum Deum nulli dubitarent, neque etiam ignorarent, qualibus factis quantaque ad excitandas bonas mentes *evangeliz* Iesus inclaruisset, sed crucifixus, quantaque ex his septem annis dissensio sit inter ipsos Israelitas super Iesu, sine Christus, quomodo multae myriades eum amplectebantur, nec ne, nam pars dominans negabat: loqui fidenter coepit, et testari de veritate, quod Iesus sit Christus. Iam noremus, statim inter audiendum Petri sermonem gentiles et credidisse, et dona Spiritus Sancti accepisse, quam ob causam, quoniam liquido constabat, Deum animos spectare, non gentes, Petrus eos statim iussit baptizari, vt cum credentibus e Iudaeis in vnam concorporarentur Ecclesiam, ne verbulo quidem addito de legibus ritualibus seruariis, Act. X. 48. Redux ex itinere *Petrus inter Christianos gente Iudaeos statim a quibusdam reprehensus est propter consuetudinem cum gentilibus*, nempe propterea, quod ad mores Israelitarum non potius gentiles adduxerit, sed iisdem ipse assimilari maluerit. *Sed narrato viso coelesti statim pie tacuerunt*, et in laudes Dei conuersi sunt, ex quo liquet, quam bono errauerint animo, nec laborauerint studio contradicendi, Act. XI. 18.

Sed postea motus dederunt alia hominum genero, de quibus statim dicemus. Inter hos quum anno aerae vulg. N.C. 47. Antiochia aliqui acriter contenderent cum Paulo et Barnaba, idque probabiliter facerent, quoniam neuter e duodecim Apostolis erat: decreta est *legatio ad ecclesiam Hierosolymitanam*, non quidem, vt aliqui perperam opinantur, ad concilium Apostolorum habendum, sed propterea quod Hierosolymis semper aliquot Apostoli praesentes manebant, tunc quidem duo aderant, Petrus et Iacobus iunior, (alio tempore tres, Petrus, Iacobus maior et Iohannes, praesentes fuerant, Gal. II. 9. quorum ex ore, quorumque sub oculis instructionem ab vniuersa Ecclesia Hierosolymitana, cuius auctoritas exceptione maior esset, expectabant et acceperunt, Act. XV.

Modestiae et caritatis apostolicae erat, non sola *adversus* vi. Quapropter conuocata Ecclesia patienter audiebant, donec quaestiones propositae et vitro citroque disputatae essent. Postremo quum ad audiendas Apostolorum sententias cuncti essent intenti, Petrus quidem ipsam concertationem reprehendit, quam agitent super quaestione, quam Deus ipse pridem, et tunc deciderit, quum se, Petrum, prima
vice

vīce ad gentiles misisset. Nam clare, aiebat, declaratum esse, *gentiles credentes fide in Christum puros censerī, nec alia re ad puritatem egere.* Nempe vt euidenter hoc constaret, ordo mutatus fuerat, quumque Iudaei primum credere deberent, tum baptizari, eoque facto dona Spiritus S. acciperent, acciderat contra, vt gentiles, ad fidem praeparati et excitati, statim donis Spiritus S. potirentur, atque ex eo intelligeretur, eos baptizandos esse. *Est honoris Christi, qui se sanctificauit, vt credentes sanctificati sint in veritate (quae vmbrae et typo contradistinguitur) vt omne credentium ius ad Deum, omnis spes, pendeat a fide in Christum.* Quae dixerat Petrus, approbat Iacobus, et allegatis locis V. T. illustrat. Sic decerni docet conuenienter Prophetis. Attamen prudentiae causa suadet, a conuersis e gentilibus in praesenti exigere, vt abstineant ab idolothytis, a sanguine et a suffocato, idque nequitiam propter praecepta Noachica, quae doctorum Iudaicorum commentum sunt, sed propter consuetam in synagogis per omnes prouincias praelectionem librorum Mosis. Quotquot enim iuxta hos educati, et eorum disciplinae adfueri erant, quomodo sine nausea vel horrore vesci potuissent sanguine et suffocato? quomodo subito aliter adfueri? Quo fiebat, vt ne quidem cum edentibus tales cibos communi mensae accumbere possent, certe non libentius, quam nos conuiuae essemus eorum, qui nobis insueta et fastidiosa alimenta capiunt. Sed caritati et mutuae Christianorum consuetudini studendum erat. Quare fas erat, vt conuersi gentiles, postquam bonorum Israeliticorum participes redditi erant, in paucis hisce concederent Iudaeis, quemadmodum concedere hi illis debebant in multo pluribus, suisque mentibus vim inferre. Nam alioqui multo plus a gentilibus desiderare potuissent. Media hac et aequabili via pars utraque bene contenta fuit, ortaque est inter gentes laetitia, quocumque epistola illa Hierosolymitana perferebatur. In quo tamen notabile est, Paulum, qui ipse perferens fuit, in nulla tamen epistola literas super puris et impuris cibis, et super vniuersa lege Mosaica, motas ex literis illis encyclicis Hierosolymitanis dirimere, et ne quidem earum mentionem facere, tamen omnes eius epistolae posthac exaratae sunt, veluti A. D. 48. epistolae ad Thessalonicenses, quae ordine temporis inter canonicas Pauli epistolas primae sunt, sed ubique directe decidit per Spiritum S. nec non allegatis rationibus et dictis ex libris V. T. Ipsae autem illae rationes et allegationes consentiunt cum sententia a Petro et Iacobo dicta.

Iam superest, vt in classes aliquot dispescamus, qui diuersimode de seruanda lege Mosaica post Christi aduentum senserunt. Prima est classis eorum, qui modeste expectabant, donec determinatius patfieret, quod

quod eousque erat indeterminatum, nec praepostere iudicare volebant. Nihil in his reprehendendum est, dummodo, postquam determinatio manifestatio consiliorum Dei accessit, libenter eam susceperunt. Paulus clare testatur, aliis hominum aetatibus non ita notum fuisse modum, quo cum ciuitate Israelitica gentes adunandae sint, quemadmodum tunc per Spiritum S. innotuerit. Sed cauendum est, ne verba obscuremus incommoda interpolatione. Dicit de mysterio Christi, i. e. de arcano Dei consilio, quod perficiat per illum Vndum suum, ὃ ἐτέρας γενεαῖς ἐκ ἐγγωρίσθη τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, Ὡς ἂν ἀπεκαλύφθη τοῖς ἀγίοις ἀποστόλοις αὐτῆ καὶ προφήταις ἐν πνεύματι, ἕνα καὶ τὰ ἔθνη συγκληρονομία καὶ σύσσωμα καὶ συμμετοχα τῆς ἐπαγγελίας αὐτῆ ἐν τῷ χριστῷ διὰ τῆς εὐαγγελίας, quod aliis aetatibus non ita manifestatum est filius hominum, QVEMADMODVM nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius (hi sunt doctores primi ordinis N. T. 1 Cor. XII. 28. Eph. IV. 11.) et Prophetis (hi sunt secundi ordine, Apostolis stricte dictis proximi) per Spiritum, quod gentes sint cohaerentes et concorporentur et una participes sint promissionis eius (Dei) in Christo per Euangelium, Ephes. III. 5. 6. Bene notetur, non de eo agi, an gentes ad communitatem religionis et salutis per Christum vocari debeant, quod aliis aetatibus, nominatim Abrahami, Moysi, Prophetarum V. T. clare constare potuit et debuit, quam ob causam frequenter Paulus ipse dicta ex V. T. super hac causa citat, sed mysterium, cuius reuelatio recenter facta sit, et in quo cognoscendo etiam prae multis N. T. doctoribus Paulus ipse excelluit, poni in MODO (Ὡς) quomodo hoc futurum sit, id quod Paulus saepe allegat, et celebrat. Nam quia indeterminate dictum erat, nec definitum, sintne a gentibus mores Iudaici suscipiendi, an ab utrisque dimittendi, sed vulgo existimatum fuit, prius illud euenturum esse; nemini in mentem venerat, quod reuera euenit, scilicet fide in vnum Vndum Iehouae omnes gentes vnam Ecclesiam, vnum corpus mysticum, fore. At vero postquam res ipsa et rei ratio per Dominum, Iesum, factis indicata, sed nec intellecta factis nec plene acceptata erat, dum homines ad clare dicta potius, tamquam ad aenigmata et allegorias inexplicabiles, stupebant; effectum postremo est per Spiritum Sanctum aetate apostolica, vt res recte intelligeretur, atque etiam euenti dignitas ex rei natura perciperetur. Christo enim, Filio Dei, talis tantaque competit dignitas, prae qua omnia euanesce debent. Indignum foret maiestate Filii Dei, Saluatoris hominum, si praeter illum quidquam necessarium putandum esset ad beandos, qui ipsi se submitunt, illi adhaerent, confidunt, totos se dedunt. Diligenter Apostoli hoc vrgent, et vberime docet Paulus. Quare, vt saepe alias, sic in citato quoque loco ab hominum salute, per

C

Christi

Christum expectanda, etiam ad sublimiora illa, et ad verae cosmologiae diuinae arcana summa, ascendit, quomodo idem *Christus, hominum Saluator, Dominus et scopus vniuersi* sit, qua angelos, qua omnes creaturas, qua praesentia et futura, adeoque in recta Christi cognitione omnes sapientiae thesauri lateant et comprehendantur.

Altera classis est τῶν ἀσθενῶν τῆ πίστεως, de quibus agitur Rom. XIV. ubi fides pro doctrina sumitur. Nam quod fides pro qualitate sumta in illis excellenter inerat, patet v. 6-8. quia conceditur, quod non sibi ipsis viuant, sed Christo, quodque abstinentia a licitis, et suscepta incommoda, etsi non necessaria, tamen ab illis teneantur in honorem Domini. Imbecilles ergo fide sunt hoc loco tales, qui nondum de omnibus doctrinae partibus, praesertim sublimioribus et ad perspiciendum difficultioribus, satis instructi sunt. Quantum ad hos igitur, *Apostolus praecipit, conscientiam eorum non perturbandam esse, operamque esse dandam quidem, ut proficiant intelligentia, sed quamdiu haesitent, nec firmiter persuasi sint, atque in ista persuasione acquiescant, cauendum esse, ne humanis de causis agere inducantur contra conscientiam, vel dubitante conscientia, quia talis agendi ratio proaeresi peccandi aequiualeat v. 23.*

Tertia classis eorum est, qui dicto iam modo integram doctrinam christianam nondum satis perspexerant, sed et mites, modesti, dociles non erant, quemadmodum erant, quos secundo loco nominauimus, sed erant contentiosi et turgidi, sibi ipsis confisi, ἐν δόξῃ, etsi caeteroquin excitatam conscientiam habere poterant, atque etiam in substantia Christianismi, de venia peccatorum poenitentibus a Deo per Filium Dei propter fidem in hanc Dei clementiam danda, vniuerse recte sentiebant. His acrius erat restitendum. Causae enim, cur ita sentirent, in tanta Euangelii luce, fuit posita in animo eorum, qui Deo nondum satis pure deditus erat, ex quo propter praevalentes passim cupiditates animi humani necesse est plura vitia extitisse, quibus indulgendo male merebantur de Ecclesia, etiam quando bonorum ministrorum speciem praese ferebant. Quapropter tales dicuntur οἱ καπιλέοντες τὸν λόγον τῆ Θεῆ 2 Cor. II. 17. quibuscum comparari volebat Paulus, sed de multitudine queritur, non sumus, inquit, ὡς οἱ πολλοί.

Sequitur quarta et peior istorum classis, qui Euangelium integrum non suscipiebant, sed propter euidentiam argumentorum concedebant quidem, Iesum esse Christum, sed ex pristinis suis erroribus multa Euangelio immiscebant, adeoque illud male mutabant et vitiabant. Factum hoc a variis varie est. Nam radices malorum, quae ultimo Apostolorum tempore reprehenduntur in Nicolaitis Apoc. II. 6. 15. nec non quae post Apostolorum

tem-

tempus in Gnosticis fuerunt, mature germinabant, et bifariam quidem, vt aliqui turbarent Ecclesias, et simplicitate proborum abuterentur, veluti quos pungit Petrus 2 Ep. II. et Iudas in Epist. v. 3. 11-13. 16-19. vt et Paulus Col. II. 8. 18-23. et alibi, alii autem sectas conderent separatas, veluti quos Ioannes inuicit 1 Io. II. 19. IV. 1. caeterum omnes erant *ἄνθρωποι βλαφῆται*, a Paulo praeuisi, Act. XX. 29. Ipsa Apostolorum aetate *instituta talis erant, qui iustitiam partim a lege rituali, partim a Iesu, et ab hoc per illam legem seruata, repetebant, eoque minus inuidiae habuerunt apud osiores Iesu, quoniam tamen Iudaismo Profelytorum honorificam multitudinem procurare videbantur. Cuiusmodi fuerunt, contra quos epistola ad Galatas scripta est, de qua forsā alibi ex instituto dicemus. Vide interim Gal. V. 11. VI. 12.*

*Iam quintam et pessimam inter omnes classē faciunt, qui propter perperam intellectos libros Moysi Iesum, vt talem Christum, qui expiationem peccatorum, *ἐν τῷ σώματι* victimis, suo corpore et sanguine oblato praestiterit, nequaquam recipiebant. Pro mero igitur seductore illum habuerunt, quod nouimus a Synedrio factum esse, vel nouo commento duplicis generis Christum finxerunt, alium, qui gentes ab idololatria ad virtutem, et ad Deum Israelis solum adorandum, vocaret, et multos cum successu perducere, in quo tamen iustitiam ex operibus humanis, sine fidei iustitia, vnice, et ex praeiudicatis opinionibus suis sic vel aliter informatam, retinebant, alium vero, qui in excessum eueheret Iudaeos, vt non libera modo gens euaderent, sed omnibus gentibus imperarent. Prioris generis errorem fuisse in Fl. Iosepho, patet ex leuissima et nugatoria relatiuncula de Iesu, quam operi suo inferere necesse eatenus habebat, quod fidem historiae suae minuisset, si de Iesu Christo nihil prorsus dixisset, quum omnes Romani cognitum haberent, Christianos ortos esse ex Iudaeis, sed in qua etiam leuissime et fugitiue versatus est, Antiquitat. Iud. Lib. XVIII. Cap. IV. §. 3. Quomodo enim Ant. Iud. Lib. X. Cap. XI. §. 7. et de Bell. Iud. Lib. VI. Cap. II. §. 1. in oratione, qua obsessos Hierosolymitanos inuitabat, vt se Romanis dederent, allegare potuisset, nisi hoc faciant, instare tempus vastationis, quam Daniel praedixerit? Nam in Danielis illa praedictione praesupponitur aduentus Christi expressis verbis, atque etiam mors eius violenta, quam perpeffus fuerit, Dan. IX. 26. 27. Ergo necesse est, verba Iosephi de Iesu: *ὁ Χριστὸς ἔστος ἡμεῖς*, Christus hic erat, non solum sic accipere, Iesum esse peruulgatum illum Christum, a quo nomen habeant Christiani, sed verum fuisse Christum, quippe quo occiso vastatio Romana praedicta fuerit, nisi in tempore, occurrerent mutata in melius mente. Idem statim*

I. c. ex ipsa Iosephi narratiuncula constare poterat, quoniam in ea fate-
tur resurrectionem Iesu a mortuis, et multa millia alia, quae mirabilia sint,
de Iesu per Prophetas praedicta esse. Sed malui citatis locis vii eorum in
gratiam, qui suspectum fortassis habuerint testimonium de I. C. apud
Iosephum, quoniam nesciunt, dubitationem de loci illius sinceritate nec
ductam esse a criticis rationibus, nec iis fulciri.


Iam conclusiones ex eiusmodi tractatione ducendas, cuius primas
lineas haecenus duximus, lectori cuilibet beneuolo relinquere cogimur.
Sed vix veremur, fore, qui de his rebus diligentius quaeri superuacu-
um ducant, siue nobiscum sentiant, siue aliter. Nec magis veremur, vt
qui legerint nostram commentatiunculam, materiam reperiant vtilissima-
rum conclusionum, quaeque nostro inprimis tempori accommodatae sint.


Itaque dum in eo nunc sumus, vt publicum pietatis Christianae offi-
cium, memoriam donorum Spiritus S. eorum, quae Noui Testamenti sunt,
post introitum Domini in gloriam coelestem, gloriose et saluberrime da-
torum, concelebrandum more consueto solenni oratione, indicamus; re-
stat, vt oratorem, et delectum ab illo thema, aptumque illud festo prae-
senti, indicemus. Laudabili exemplo ad dicendum se obtulit, Vir Plur. Reu.
Praenobilissimus Clarissimusque, CHRISTIANVS FRIDERICVS SCHMIDIVS,
S. Theologiae Baccalaureus, Philosophiae Professor Publicus extraord. et
Facultatis Philos. Assessor, cuius de hac academia merita, et in dicendo
differendoque nota elegantia et acumen, non opus habent nostra com-
mendatione. *Aget de illiberali et parum frugifero studio Criticorum, qui
in iudicanda diuina librorum sacrorum indole, historica, antiquaria, philolo-
gica et critica qualiacunque ostentant, in fraudem testimonii Spiritus Sancti.*
Dicet inprimis contra nouatores, qui fugillant canonicam partium cano-
nis auctoritatem, idque agunt, vt Patrum testimonia calumniando per-
uertant, et probabit, argumentum fidei Christianae primarium esse in tes-
timonio Spiritus Sancti, reliqua autem quaelibet, quamuis erudita, dum-
modo vera, redire tandem istuc, vt illustrent et extrinsecus confirmet,
quam recte, quam tuto credatur, quod a bonis Christianis ex sacris liti-
ris propter testimonium Spiritus S. creditur. Ad quem beneuole audi-
endum vt die Pentecostes ab audita hora XII. in aede Paulina conueni-
ant, ILLUSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLI-
CAE PROCERES, FAVTORES RERVM NOSTRARVM OMNES,
CIVESQUE NOSTROS GENEROSISSIMOS NOBILISSIMOS-
que, humanissime inuitamus. P. P. Lipsiae Festo Pentecostes A. N. C.
C D I O C C L X X .

VD18

ULB Halle 3
007 208 200







1770, 41

D. CHRIST. AVG. CRVSII
COMMENTATIO
SVPER ERRORIBVS
DE RETINENDA LEGE MOSAICA
INTER PRIMOS CHRISTIANOS,
DEQVE
ERRORVM ISTORVM VERA INDOLE
ET VARIETATE.

PROPOSITA
LIPSIAE FESTO PENTECOSTES

CIDICCLXX.